

imperium, sed aliquid simile mixto imperio adjunctum habet, tanquam consequens aliquod jurisdictionis: cum contra mixtum Imperium adjunctam habet jurisdictionem. Res exemplo illustrari potest, *ex princ. Instit. de servit.* ubi actus sub se continet iter, sed non tanquam servitutem itineris, verum tanquam commoditatem ejus. Qui enim plus habet, habet etiam minus, natura ita dictante. Verum id diverso respectu. Et contra iter sub se nullatenus continet actum vel viam: quo minus dicere necesse sit, minus sub se continere majus contra institutionem naturæ. Eodem igitur modo jurisdictionis non potest sub se continere Imperium mixtum, tanquam id quod majus est, sed simile aliquod mixti imperii sub se continet. Quocirca & ad illud consequens jurisdictionis non potest deveniri, nisi in extrema necessitate, non conferentibus quicquam suavis, consilio, admonitione & comminatione legum. Quantum ad mixtum Imperium attinet, id definitur extensive, cui etiam jurisdictionis insit. Non autem Jurisdictionis, qualis, utpotè diversæ sint species, & diversimodè etiam considerentur. Hoc enim sine pauciores species legislator proposuit, ut ad positionem unius speciei possimus inferre ad remotionem alterius, & contra: Si non semper de natura, tamen de interpretatione juris. Et quantum ad merum Imperium attinet, ita considerandum est, quod merum Imperium à Jurisdictione separatum sit. Id quod sanè habet considerationem, quod etsi in mixto Imperio judicandum primum sit, & nunquam ab executione incipiendum: imò verò quò ad hanc speciem Imperii judici nonnunquam aliquid relinquatur, *per l. 12. & 14. ff. de leg.* In mero tamen Imperio nihil relinquitur discretioni ejus, cui merum Imperium competit, sed oportet, ut per legem expressè definiatur casus, de quo quaeritur. Aliàs enim judici subsistendum erit. de quo casu verissima est Regula, Quod satius sit decem nocentes dimittere, quam

quàm